




DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis 17 Januarii M. DCC. XXXII.

M. ANTONIO CASAMAJOR, Doctore Medico, Præside.

An Dysenteriæ Venæ Sectio?

I.



FLUORIS alvi ut variæ sunt differentiæ & causæ, ita dissimilis curatio. Cuivis morbo, vel etiam symptomati, contrarium remedium opponendum; Quod futurum est irritum, nisi causa tum externa, tum interna priùs summoveatur, nec solùm ab iis, sed etiam ab adjunctis curandi ratio

diverſa deſumitur. Sic Cacochymiæ Purgatio, Plethoræ Phlebotomia rectiùs decernitur. Si febris adſit, vel inflammatio, aut dolor urgeat, Phlebotomiæ locus potior eſſe debet. Neque tum Alvi profluvium (niſi fortè criticum) viribus eam permittentibus eam diſſuadere poteſt.

I I.

QUALISCUNQUE ſit fluxus, tribus generibus comprehenditur. Si nihil ab Alvo mutatus cibus dejiciatur λιεντερία eſt communis Ventriculo cum Inteſtinis: quæ ſi morbum longum frigidiorum humorum alumnum ſequatur, ſpem ſalutis adimit. Si Sanguis, multiplicem parit Dyſenteriam, nimirum αἱματηρὰν, mutilis familiarem: Melancholicam ſplenicis ſalutarem: Hepaticam prorſùs lethalem: & inteſtinanem cuivis ætati, ſed maximè puerili & ſenili calamitoſam: quod ſi frequens adſit, & liquida cæterorum humorum dejectio, Diarrhœa eſt quæ vel defectu ἀναδόσεως vel Confluxu materiæ, copiâ aut qualitate peccantis excitatur.

I I I.

DYSENTERIA quæ ab affectâ ſede nomen habet; omnium moleſtiſſima eſt, ut quæ cæteras doloris vincat acerbitate, nec ullis cedit periculi magnitudine. Nihil eſt aliud quàm ἕλκωσις Inteſtinorum nunquam expers doloris, & quæ non rarò Inflammationem, ſæpiſſimè Febrem inducit. Hæc autem non nunquam ab externis cauſis, ut pravis alimentis, & acribus Pharmacis, ſæpiùs ab internis; atrâque Bile, aut ſalsâ Pituitâ ducit originem. Sed hæc mulieribus, illa viris frequentior: utraque contagionis particeps & popularis: maximè verò per Æſtatem, ſi aquiloniam Hiemem Ver auſtrale conſequatur.

IV.

TAM atrocis mali periculum colligitur ex parte affectâ, ulceris magnitudine, humoris ſpecie, & interdum ab excretis & ſymptomatis. Ulcus, ſi gracile aliquod Inteſtinum occupet, præſertim Jejunum, vix coaleſcit: idem ſi craſſum penitiùs depaſcatur, ita ut ἐφελκίδες abjiciat, lethale: ab atrâ itidem Bile ſi ortum ducat, non minùs quàm occultus Cancer exitioſum: quoad ſymptomata, longe gravior eſt Dyſenteria, quæ cibi faſtidium inducit, quæ Bilis vomitum conjunctum habet quæ cum Febre invadit, & perſeverat: quæ naſcitur ab inflammatione præcordiorum, quæ varia promit proditque Excrementa, quæ demùm ſequitur Abceſſum Meſenterii: quamquàm hæc non prorſùs deſperanda.

V.

QUÆCUNQUE ſanabilis eſt Dyſenteria, ſi quidèm intempeſtivè ſupprimatur, Abceſſum facit. Ejus curandi initium ſumi debet ab humoris peccantis vacuatione. Cui ſcopo nullum quidem Rheo præſtantius remedium. Cui tamen Senna interdum, Caſſia, aut Catholicum utilius præferetur. Quòd ſi Febris adſit, vel Inflammatio, Dolorque ingens, & Corpus Plethoricum, Phlebotomia longè tutiùs præmittetur, ut quæ non ſolùm minuat plenitudinem, ſed etiam Febrem & Inflammationem extinguat, Dolorem mitiget, Bilis impetum reprimat, fluxum denique ipſum cohibeat: eaque ſæpiùs magno ſucceſſu repetenda: quâ præmiſſâ locus erit commodior purgantibus medicamentis & adſtringentibus Enematis, Epiceraſticis, hypnoticis, Narcoticis, dolorem ſedantibus, Balneis contemperantibus, Diureticis deſiccantibus, (exceptis Spaden-

ſibus) cæteriſque tum medicamentis intemperiem corrigentibus, tùm crebris alimentis, quæ vires inſtaurando, morbo ſimul adverſentur.

Ergo Dyſenteriæ Venæ Sectio.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Claudius De la Vigne de Frecheville, Medicus Regis ordinarius & domûs Reginæ.

M. Ludovicus De Santeul.

M. Petrus Le Tonnelier.

M. Joannes-Damianus Chevallier.

M. Emanuel-Mauricius Du Verney.

M. Nicolaus Audry, Antiquus Facultatis Decanus & Profeſſor Regius.

M. Claudius Brunet.

M. Ludovicus-Claudius Bourdelin, Regiæ Scientiarum Academiæ.

M. Philippus Hecquet, Antiquus Facultatis Decanus.

Proponebat Pariſiis LUDOVICUS-MARIA POUSSE, Pariſinus, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1732. à ſextâ ad meridiem.

Typis G. F. Quillau, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1732.